

**Colección de cartas pueblas****CVI***Carta-pobla d'Alcocever*

1.330, febrer, 26 - Cervera de Frontera.

Pere de Thous, mestre de l'Orde de Santa Maria de Montesa, concedeix segona carta de població al lloc d'Alcocever, en el terme de Xivert, a Ferrer Colom, Domènec Casluc, Bernat Jorba, Bertomeu Tosquella i a 36 pobladors més, a Furs de València.

*Acta fuerunt hec in castro Cervarie de Frontaria, IIII kalendas marcii, anno Domini millesimo CCC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> nono.*

[A] Document original, perdut.

[B] Còpia realitzada a l'any 1416, recollida al «Libro de Poblaciones i Privilegios de los lugares de la Orden de Montesa», en l'Arxiu Històric Nacional, Secció d'OO.MM., Montesa, Manuscrits 542-C, fols. XXVIII r - XXX v.

**EUGENI DIAZ MANTECA**

[Fol. XXVIII r.] *Població del loch d'Alcocever, en terme de Xivert*

In Dei nomine et eius gratia. Pateat universi, tam presentibus quam futuris quod nos, frater Petrus de Thous, Dei gratia humilis magister domus milicie de Muntesia, de consilio, assensu et voluntate venerabilium et religiosorum fratris Bernardus de Monçonis, comendatoris maioris dicte milicie; fratris Guillermi Cerdani, clavigerii; fratris Sancii Petri del Ros; fratris Berengarii de Monteolivo, de Paniscola; fratris Berengarii de Erillo, de Vilafamez; fratris Bernardi de Roca, de Perpuxen; fratris Dalmacii de Scintiliis, de Xivert; fratris Galcerandi de Olerda, de Onda; fratris Gondisalvi Marti de Peralta, de Aris; fratris Guillermi Segura, de Covis comendatorum; fratris Bernardi de Lagostera; fratris Guillermi de Blanes; fratris Petri Onlomar, prioris nostri; fratris Bernardi Sicart, prioris Cervarie et aliorum fratrum dicte milicie nobis assistentium. Attendentes quod venerabilis et religiosus frater Guillermus de Muntanyana, quondam Magister

milicie Templi, quondam in Aragonum et Cathalonie, de consilio et assensu quam plurimum comendatorum et fratrum ipsius ordinis, sibi assitentium dedit et concessit Raymundo Perpunterii [fol. XXVIII v.] et Bernardo Conill et omnibus aliis populatoribus, scilicet quadraginta personis quendam locum vocatum de Alcocever, situm infra terminos castri de Exiverto, cum omnibus suis pertinenciis et affrontationibus et sub certis pactis et condicionibus in qua populacione dictus venerabilis frater Guillelmus de Muntanyana retinit et salvavit, sibi et dicto ordini Templi quondam inter alia, quod dicti populores in dicta popula tenerentur facere residenciam personalem. Itaque, si ipsi ad alias partes se transferrent causa sue residencie personalis hereditatem suam incultam relinquerent liceret sibi, tam alteri dare et stabilire, ut hec et alia in quodam instrumento publico per alphabetum diviso inde confecto auctoritate Petri de Tamarito, notari publici Dertuse, quarto idus marcii, anno Domini, millesimo CC° LX°, plenius et lacius vidimus contineri. Attendentes etiam quod ex eo, quod dicti populores omnes serunt facere personalem residenciam in dicto loco de Alcocever, prout ad eam astricti erant et obligati iuxta tenorem dicti instrumenti ipso locus cum omnibus honoribus, tenedonibus, possessionibus et pertinenciis suis, de foro et racione ad vos et dictam miliciam devolutus existit, sic quod de eo ordinare possumus quicquid placuerit ad utilitatem nostri et milicie supradicte. Et nunc per homines infrascriptos a vobis fuerit supplicando petatum ut dictum locum prout concessus fuerit per dictum ordinem Templi quondam populatoribus supradictis, eis ad in perpetuum de nova una cum aliis condicionibus infrascriptis dare et concedere dignemur. Ea propter eorum supplicacioni condescendes benigne, considerantes quod ex populacione subscripta dante Deo honor et utilitas acrescet, nobis et milicie memorate, si ad optatum affectum pervenerit ut speramus. Gratis et ex certa sciencia cum hoc presenti publico instrumento, firmiter et perpetuo valituro, et nunquam in aliquo revocatur, per nos et succesores nostros, de consilio et assensu fratrum predictorum, necnon deliberacione per habitam, damus et concedimus et de presenti tradimus vobis Ferrario Colom, Domenico Casluc, Bernardo Jorba, Bartholomeo Tosquella et omnibus aliis populatoribus, dicti loci de Alcocever, numero quadraginta inter omnes licet absentibus et Andree Casalduch, vicino de Alcalano, procuratorio nomine ad infra scripta specialiter constituto, cum instrumento publico inde facto per Guillelmum Molinerii, notarii termini Exivert, auctoritate nostra, quinto kalendas marcii anno subscripto, de quo michi notarii extitit facta fides et notario infrascripto tanquam publice persone hec a nobis loco vestri et illorum quorum interest et intererit et intererent potest, et poterit pasciscenti et recipienti et vestris et eorum successoribus, presentibus et futuris per secula cuncta locum nostrum predictum de Alcocever, quem habemus et possidemus infra terminos castri Exiverti, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis. Ita videlicet quod locum productum et totum terminum eiusdem in quadraginta hereditatibus, inter vos dividatis de quibus unusquisque populator habeat unam hereditatem. Affrontat autem dictus locus de Alcocever ex [fol. XXVIII r.] una parte cum mari et ex alia parte cum Rivo

Corvi et extertia parte cum Serra que est inter Alcalanum et locum predictum de Alcocever, sicut aque discurrunt versus ipsum locum tempore pluviarum ex quarta vero parte cum fontibus maioribus versus Paniscolam et cum Podio de Benicacim, sicut molloni iuxta Puteum Garroverie, positi, siti et fexurati sunt iamdictum, itaquod locum de Alcocever prout sub dictis terminis et affrontationibus includitur et terminatur et prout aque discurrunt intra eundem cum figerali, etiam quod est suptus dictum locum in valle d'Escopet cum omnibus affrontationibus, introitibus et exitibus ac iuribus et pertinenciis suis et cum omnibus domibus et casalibus, ortis et ortalibus, terris, vineis, campis, heremis et populatis, erbis, pratis, paschuis, venacionibus, planis, montibus, lignis et lignaminibus, nemoribus, cequiis, aquis, puteis et arboribus diversorum generum, fructiferis et infructiferis et piscariis. Excepto stagno aque a maris, quod ad opus nostri retinemus, sed in aliquo aque dulcis liceat vobis seu successoribus vestris piscari sine licencie et mandato nostri seu comendatoris Exiverti vel alterius persone et sine aliquo servicio et cum omnibus aliis ibidem pertinentibus et pertinere debentibus prout melius et utilius dici scribi et intelligi potest ad vestrum et vestrorum comodum et salvamentum et bonum etiam intellectum sic vobis et vestris successoribus imperpetuum damus, concedimus et in presenti tradimus ad populandum, morandum, habitandum et dividendum sub tali scilicet pacto et condicione quod unusquisque vestrum dictarum populatorum et successoris vestre teneamini in dicto loco, facere residenciam personalem et quod infra unum annum ab instanti festo Pasce Resurreccionis Domini, in antea computandum feceritis et construxeritis unusquisque vestrum infra hedifficium quod templari quondam in ibi construxerunt et in circuitu illius in locis videlicet ubi iam per nos, vobis asignate sunt unam domum et quod infra unum annum transtuleritis in ipso loco vestrum ospicium pro facundo in eo continuam residenciam et quod infra tres annos a dicto instanti festo Pasce numerando quilibet vestrum feceritis tria tornalia vinee videlicet quod quolibet anno unum tornall in illo scilicet loco ubi vinee per nos seu alios loco nostri vobis fuerint assignate. Retinemus etiam nobis quod alienare alicui vel aliquibus personis domos, vineas, honores seu possessiones vestras nisi tantum filiis aut filiabus vestris aut aliis successoribus vestris quibus sit licitum vobis ea dare, concedere et dimittere tempore nubciarum seu in ultima voluntate. Ita tamen quod ille vel illi quibus ea dederitis seu concesseritis tempore nubciarum vel in ultima voluntate sint obligati faciendum in dicto loco personalem residenciam et ad omnia alia et singula infrascripta que nos inferius retinemus. Transactis vero dictis sex annis possiti dictas domos, vineas, terras et possessiones dare, vendere, alienare, permutare et inde vestras omnimodas facere voluntates, exceptis militibus atque sanctis dum tamen illi qui titulo empcionis donati [fol. XXVIII v.] nis aut alio quovis modo atquirent dictas domos, vineas, honores et possessiones faciant dictam residenciam in dicto loco prout vos facere teneamini ut est dictum. Retinemus etiam nobis et dicte milicie fabricam dicti loci et termini eiusdem pro qua detis et solvatis anno quolibet perpetuo comendatori Exiverti, pro qualibet dictarum quadraginta hereditatum duas fanechas bladii